DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,
DE

VINIS LITHARGYRIO INFECTIS,

ET COLICA PARETICO CONVULSIVA EXHAUSTU EORUNDEM ORIUNDA,

QVAM
JUSSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM
IN ACADEMIA GRYPHICA ORDINIS,
PRO
SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS
JURIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
OBTINENDIS,
ANNO MDCCXLV. MENSE APRILIS
ERUDITORUM CENSURÆ EXHIBUIT

HENRICUS GEORGIUS MATTHISSEN
MED. PRACTICUS HAMBURGENSIS.

IMPRIMEBAT HIERONYMUS JOHANNES STRUCK.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



PRÆLOQVIUM



Morbos inter, qui corpus affligunt humanum, nullus eſt, qui tam frequenter virulentiam ſuam in illud edit, quam quidem ille, quem nomine colicæ medici inſigniunt. Multa autem colicæ proſtant genera, prouti nempe cauſſæ, quæ eandem produxerunt, variant. Ita enim colica originem poteſt trahere, a cruditatibus pituitoſis, acribus, bilioſis, flatibus, congeſtione ſanguinis verſus inteſtina, ejusdemque in illorum tunica vaſculoſa ſtagnatione, quæ congeſtio in primis accidit plethoricis, hypochondriacis, & illis, qui fluxum experiuntur hæmorrhoidalem; quæque ideo etiam colica nominatur hæmorrhoidalis. Porro inflammatio ventriculi & inteſtinorum, calculus in ureteribus hærens, potus frigidus, re-

frigeratio totius corporis & pedum, copiosa ingestio fructuum horreorum, suppressio excretionum naturalium, tumores intra corpus retropulsi, spasmi mesenterii, cetera, colicam excitare valent. Nullum vero genus colicæ tam asperrime sævit, quam quidem illud, quod vino cum Lithargyrio mixto, natales suas debet, cuique a quibusdam nomen Colicæ paretico-convulsivæ, ab aliis Colicæ Saturninæ, ab aliis vero Oenagræ imponitur. Consulatur Lentilius in *Jatromnematibus pag. 65.*

Innotuit hic morbus in primis creberrime, annis elapsi seculi 94, 95, 96, cum in Ducatu Würtenbergico, & vicinis illius regionibus, Vinum optimum Neckeranum, ob deprædationem Gallorum, & ingurgitationem illius copiosam, ab incolis quæ fuerat instituta, carum partim fieret; partim vero etiam ob frigidam, & proventui bono hujus vini minus aptam tempestatem, naturam acidam & austeram hocce vini genus indueret. Quare quidam, qui ex venditione illius lucrum quærebant, quo illi gratum ac dulcem conciliarent saporem, & magnum quæstum ex eodem facerent, cum lithargyrio, pessimo sane ausu, vinum hoc commiscebant, & adulterabant. Iisdem malis iterum onerabatur, atque obruebatur com-

memo-

memorata antea regio, anno præſentis hujus ſeculi quinto, cum magiſter quidam Vietor, qui vero poſtea meritas pœnas delicti STUTTGARDIÆ dedit, vina acida & auſtera lithargyriata ſolutione dulcificaret, & venum exponeret. Verborum quadam circumſcriptione rem hanc comprehenderunt, EBERHARDUS GOCKELIUS **in der** *curieuſen* **Beſchreibung des im Jahr** 1694. 1695 **und** 1696 **durch das Silberglett verſüſſeten ſauren Weins/ und der daher entſtandenen und vormals unerhörten Wein-Kranckheit.** Ulm. 1697. 8. nec non in GALLICINIO *Medico-practico*, Ulmæ 1700. in quarto edito. CONRAD VICTOR JÆGERSCHMIDIUS, *Practicus Giengenſis*, in libro de *Colica Spasmodica & pareſi ex vino, ſive detracta mercurii larva, ſub Schemate lithargyrii* 1698. ZELLERUS, Medicinæ olim Profeſſor in Academia Tubingenſi, in diſſertatione, *de vini lithargyrio mangoniſati docimaſia* 1707. REISELIUS, & BRUNNERUS, in *Ephemeridibus naturæ curioſorum*, ROSINUS LENTILIUS in *Jatromnematibus, a pag. 65 ad 67.*

Cum vero hæc methodus, vina, & Spiritum vini, qui ex Gallia affertur, Lithargyrio tingendi, partim apud multos, qui cum his liquoribus mercaturam exercent, nondum,

 quod

quod eſt dolendum, in oblivionem venit; partim etiam ſcripta, paulo ante commemorata, ob diuturnitatem temporis, quo lucem aſpexerunt publicam, in paucorum verſentur manibus; non a ſcopo meo alienum fore exiſtimo, ſi de methodo illa malefica, vina lithargyrio tingendi, & colica paretico-convulſiva, ex hauſtu venenati hujus vini oriunda, ſpeciminis inauguralis loco, quædam comemorem & exponem. Quod, ut eo melius perficiam, *Primo*, de actione venenoſa corporum Saturninorum, in primis lithargyrii, reſpectu corporis humani, agam. *Secundo*, cauſas actionis hujus venenoſæ delineabo. *Tertio*, modum & rationem, qua vina acida, auſtera & corrupta, ex admixtione lithargyrii iterum ſapida & dulcia, & ſpiritus vini lutei facti, iterum clariores & ſpumantes, (Perlendt) reddi poſſint, tradam. *Quarto*, methodum, cujus ope, hac arte nefanda ac deteſtanda, corrupta & dulcificata vina, & ſpiritus vini, poſſint cognoſci & explorari, indicabo. *Quinto*, Mala, quæ ex hauſtu horum liquorum venenatorum oriuntur, ſymptomata, enumerabo. *Sexto*, de methodo, hæc ſymptomata medendi, non ſolum ero ſollicitus, ſed etiam cautelas quasdam, tam ratione medicamentorum, in hoc morbo adhibendorum, quam etiam diætæ,

ſuppe-

ſuppeditabo; & denique *Septimo*, artificium, quo interveniente, omnia fermentata, ſive, ut mihi ita loqui liceat, morboſa & corrupta facta vina, non deteſtando, & corpori humano innoxio modo, naturam ac indolem optimi & grati vini, acquirere iterum valeant, detegam atque exhibebo.

---

§. I.

Plumbum, & ex eodem præparata corpora pharmaceutica, in primis vero lithargyrium, in corpus humanum delatum, effectus edere, veneno quoad omnia ſimiles, non ſolum multi adſeruerunt Medici, tam veteres, quam recentiores, e. c. AVICENNA, DIOSCORIDES, AËTIUS, FERNELIUS, (qui in tractatu de *lue venerea* mentionem injecit empirici, qui plumbi pulverem adverſus arthritidem commendavit, quo, ad ſesqui liberam aſſumto, ægrotus primum Dyſenteria crudeli; deinde, hac ceſſante, ventris graviſſimis roſionibus & torſionibus, cum contumaciſſima ventris adſtrictione, virium debilitate, appetitu dejecto, incendio interno, & tandem ictero, correptus fuit,) SENNERTUS, PARAEUS, KIRCHERUS, STOCKHUSIUS, TIMAEUS a GÜLDENKLEE, WEDELIUS, LINDESTOLPIUS, COHAUSEN, aliique; ſed etiam quotidiana confirmat experientia; ſiquidem eadem edocemur & convincimur, homines illos, qui multum cum plumbo habent negotii, quales ſunt figuli, multis & graviſſimis morbis, paralyſi nempe, Pthiſi, Inteſtinorum doloribus, cum anguſtia præcordiorum, & ſpirandi difficultate, membrorum contractura, articulorum debilitate, ſumma virium deminutione, alvo pertinaciſſima clauſa, aliisque, corripi. Vid. RAMAZINUS in *operibus omnibus medico-phyſiologicis pag. 287. & 288*; LIN-

DESTOL-

DESTOLPIUS *de venenis pag. 433. & 434. not. M:* Quique simul pro certo statuit, venena saturnina, vino immissa, efficere sterilitatem, veneris oblivi∫centiam, flacciditatem membri virilis, vigorisque naturalis consumtionem. Quod ipse in amico quodam 1708. Stockholmiæ fuit expertus.

§. II.

Præcipue vero morbis, Saturno originem debentibus, expositi sunt illi, qui mineras Saturninas igne tractant, urunt, calcinant, fundunt & separant. Hæc enim dum perficiuntur, plumbum non solum de se spargit fumum subdulcem, crassum, coloris ex albo flavescentis; sed etiam plumbum ipsum, omnimode in fumum converti & transmutari potest (per exp.) Hicque fumus germanice vocatur Hüttenrauch; quem vero nihil aliud esse, quam plumbum, in minutissimas particulas solutum, exinde elucescit, quia ex fornacibus & officinarum parietibus separatus, verissimum plumbum, citra notabilem ponderis deminutionem, debita nempe instituta liquefactione, reddit.

§. III.

Fumus hic (§. 2.), tempore nebuloso, minus sereno, præsertim circa noctem, propter insignem suam gravitatem descendit, aërem inferiorem replet, sicque per pulmones attractus, & in os cum saliva deglutitus, ubi instar Sachari saturni, saporem præ se fert dulcem, abit ad ventriculum, & ad intestina, ubi horrenda symptomata excitare solet.

§. IV.

Omnium maxime producit & gignit morbum spasmodicum, tormina summe convulsiva, cum alvi adstrictione pertinacissima, quique morbus nomen habet die Hüttenkatze sive Hüttenkranckheit; quia nempe intolerabilis illi intestinorum cruciatus, ægrotantem nonnunquam rabiosam felis circumgyrationem imitari cogat. Illis hominibus aliquando nec standi, nec sedendi datur potestas; inquieti huc atque illuc moventur, lecto si aliquantum incubuerint, terram vicissim repetunt, un-

guibus

guibus eam rodunt, immanes ventris dolores patiuntur, cum ſudore nonnunquam frigido, & lipothymia: Complicatur hiſce ſtatim vehementiſſima alvi conſtipatio, ita, ut nihil flatuum, ne dum excrementorum, per anum habeat exitum: Purgantia omnia, irrito effectu propinantur, & malum ſæpius exaſperant: Superveniunt cardialgiæ ſyncopticæ, vomitus, febres lentæ, & tandem, ſi morbus diu duraverit, accedunt etiam convulſiones muſculorum, contracturæ, item paralyſes manuum, pedumque.

§. V.

Morbus hic, (§. IV.) quaſi proprius eſt Clauſthali, Zellerfeldi, nec non Hartzgerodæ; quibus locis mineræ ſaturninæ tractari ſolent, omnibus operariis, qui vel in fodinis plumbarium metallicum lapidem pulvere pyrio ſeparant, extra fodinas illum urunt & liquefaciunt, vulgo Hüttenleuten, & qui fornacibus ſeparatricibus, vulgo Treibe-Offens, præſunt: vel magis adhuc illis, qui lithargyrium ponderant, vulgo Glettwegern: a cujus fumo copioſo, & polline per halitum excepto, mirum in modum læduntur, & memoratum morbum (§. IV.) incurrunt. Ex quibus omnibus quam certiſſime elucet, lithargyrium optimo cum jure, venenis mineralibus annumerari poſſe.

SCHOLION.

Lithargyrii, varia a Chemicis conſtituuntur genera; alii enim duo enumerant, nempe ARGENTEUM, quod coloris albi, & AUREUM, quod coloris eſt flavi. (SCHRÖEDERUS *in pharmacopœja chemica pag. 462.)* Alii plura adducunt, nempe 1) Quod fit, quando argentum e plumbo ſeparatur. 2) E mixtura auri & plumbi. 3) E mixtura plumbi & argenti. 4) E mixtura auri & argenti 5) Ortum ex aere & plumbo. 6) Recrementum lithargyrii ceruleum, quo utuntur figuli. Communi vero loquendi modo, lithargyrium denotat, *corpus quoddam metallicum, non ſponte quidem naſcens, ſed in ſecundis fornacibus emergens, dum plumbum, vel ejus arena, ab argento aut auro ſecernitur.* CASTELLI *Lexicon Medicum pag. 551 & 552.*

§. VI.

Symptomatum vero horum omnium, (§. I. IV.) quæ fumus Lithargyrii, &, quod omnino largiendum, lithargyrium etiam ipſum producit, ratio, quam optime elici & erui poteſt, ex Saturni ſingulari textura mechanica. Plumbum enim de mercurio multum participat: (prin. chem.) Hinc etiam eſt graviſſimum, quin imo teſtantur omnes Chemici, Mercurium vivum, mediante beneficio variorum admixtorum ſalium, prævia quaſi facta ſubtiliſatione & digeſtione, e plumbo deſtillari poſſe. Ob mercurialem hanc naturam, facile cedit in auram, & vehementiſſimo ignis motu, in minimas reſolvitur particulas, quæ tamen ob molem & gravitatem ſuam majorem, non tam promte ab aëre ambiente ſuſtentari poſſunt; hinc deſcendunt ad inferiora, & collectæ, fumum craſſum, flaveſcentem, ſaporis dulcis, conſtituunt, qui deglutitus, advehitur ad ventriculum & inteſtina; partim gravitate ſua, partim etiam tenuitate mercuriali, non ſolum adhæreſcit membranis, ſeu tunicis illorum, verum etiam intimius poros tunicarum nervearum & muſculoſarum penetrando, obſtructiones in iſtis efficit, ſimulque fibras iſtas nerveas & muſculoſas fortiter lancinat, irritat, rodit, ut adeo liquidum nerveum fibras illas incolens, magno impetu & copia ad has partes feratur; quod, quoniam propter pororum obſtructionem, non æqualiter in circulum ferri & moveri poteſt, fibras patentes nimium inflat, diſtendit, contrahit, ſicque ſpasmum, conſtrictionem harum partium, ſimulque crudeliſſimos dolores, qui ſaltem debentur ſpasmodicæ harum fibrarum contractioni, progenerat. Validiſſimæ porro huic tunicarum inteſtinorum & ventriculi conſtrictioni, adſcribenda etiam ſunt cetera ſymptomata, nimirum vomitus, cardialgiæ, anxietates, alvi, urinæ, flatuum ſuppreſſiones, inteſtinorum inflammatio &c.

§. VII.

Particulæ porro ſaturninæ, ore exceptæ, & ad ventriculum delatæ, cum ſucco chyloſo abeunt etiam per poros inteſtinales, & venas lacteas, ad ipſam cruoris & humorum maſſam: In

transſitu, vaſa lactea & meſeraica, cum tempore occludunt, & obſtruunt. In ſanguine & humoribus hæ particulæ ſaturninæ, vectæ ad partes, propter ſpecificam gravitatem, qua præponderant omni fluido corporis noſtri, facile ſecedunt, & præcipitantur, ſicque tubulos partium ſolidarum vaſorumque anguſtiſſimorum, poros cutis conſtipant, & obſtruunt: unde atrophiæ, ariduræ partium, & cachexiæ, ſubnaſcuntur. Cum ſucco lymphatico, ad nervos, tendines, ligamenta, delatæ hæ particulæ, in anguſtiſſimis illorum tubulis valde facile quoque hærent, ſtagnant, ibidemque tam obſtruendo, quam irritando, dolores, ſpasmos, ſpirituum animalium interceptiones, & inde paralyſes, & contracturas producunt.

§. VIII.

Quod vero Lithargyrium, ejusque partes, ſubſtantialiter ex ventriculo ad ipſum ſanguinem deduci poſſint, inter alia elucet exinde; quod urinæ illorum, qui morbo metallico laborant, incoctæ, prævia decenti tractatione & fuſione, præbeant quantitatem veri plumbi. Et quod ulterius ſaturninæ particulæ & minutiæ, fibrarum nervearum poris inſinuatæ, paralyſin & contracturam, partibus illis adferre queant, obſervationes teſtantur. Sic a Sachari Saturni immodico uſu, paralyſin obſervavit IOHANNES RHODIUS. Videantur *obſervationes* ejus, *Centuria III. obſervatio X.* ut & BORELLUS, *Centuria IV. obſervatione XXXII.* Debeo hæc, illuſtris quondam HOFFMANNI diſſertationi *de metallurgia morbifera.*

§. IX.

Omnia hæc, (§. VI. VII. VIII.) majorem in modum contingere, ſi lithargyrium ſolutum, immediate in corpus humanum fuerit delatum, unusquisque facile valebit penetrare. Adeoque ex his, omnia, quæ de effectu immani vini lithargyriſati, (§. XVIII.) erunt proferenda; explicari deſtincte, & quam optime reſolvi poſſunt.

§. X.

Varios autem quidam, omni flagitiorum, ſcelerumque conſcientia merſi homines, & vini mercatores, invenerunt modos, ad vinum corruptum, acidum, auſterum, inſipidum, iterum gratum, ſapidum ac dulce, reddendum. Artificium certe, quod in detrimentum & incommodum multorum non ſolum hominum, ſed fere totius generis humani, fuit excogitatum. Quidam enim, vino corrupto, acido & auſtero, certam quantitatem lithargyrii, in pulverem redacti, commiſcent; & tamdiu hanc mixturam ſeponunt, usque dum vinum illud cum lithargyrio intime mixtum, & ab hoc ſaporem dulcem conſequutum fuerit. His factis, infundunt hunc liquorem dolio recenter ſulphurato: ſive, quod non diu ante fumo ſulphuris fuit reptelum; (ziehen ihm auf ein friſch geſchweffeltes Faß) & ſi claritas juſta illi fuerit conciliata, (Fackelſchön geworden) venditioni exponunt. Alii vero recipiunt lithargyrii pulveriſati uncias ſex. His vaſi comiſſis, affundunt libras tres, & uncias quatuor, aceti vini optimi; incoquunt usque ad remanentiam partis quartæ, tuncque vitro, aut vaſi vitreato æneo indunt: Dinde, huic liquori addunt libras tres & uncias quatuor vini cujusdam optimi, e. c. malvatici, parum ebullire ſinunt, per chartam emporeticam trajiciunt, & in vitro optime clauſo, uſui ſervant: Alii iterum marcaſitæ & bismuthi eandem quantitatem, quam de lithargyrio poſuimus, huic adhuc addunt, & ita formulam hanc majorem, & pejorem adhuc reddunt. Alii denique, ſolum ſacharum Saturni, ſine in antecedentibus commemorato, vinis admiſcent.

§. XI.

Liquoris, (§. X.) guttulæ decem, quindecim aut viginti, vitro, unciis tribus aut quatuor vini corrupti, repleto, infundunt, opeque ſtili pennæ cujusdam, ſive bacilli lignei parvi, agitant fortiter, ac poſtea tam diu reponunt, usque dum vinum factum fuerit clarum, & pellucidum. Sique magnum dolium, vino corrupto repletum, ſive ein Würtenbergiſches Eimer Weins, quod continet 160 groſſe Eichmaß, cum hoc liquore debet tingi, liquoris illius (§. X.) unciæ ſex requiruntur. Et hac ratione, vinum auſterum,

aufterum, acidum, et adftringens, per præcipitationem particularum tartarearum, ac acido vitriolicarum mutatur, ut naturam grati, dulcis, & optimi vini, induat.

§. XII.

Ex his, juxta normam maleficam & impiam indicatam, (§.X. XI.) venenatis & adulteratis vinis, corpori humano quam maxime perniciofum potulenti genus ortum fuum ducit. Quodfi enim ex iisdem fpiritus vini fecundum regulas artis elicitur, hic eadem labe faturnina infectus exiftit, fi quidem fub deftillatione illius vini lithargyriati, partes quædam lithargyrii volatiles alembicum fimul transfcendunt, & ejusmodi fpiritum venenofum reddunt. Ita quoque Spiritus vini bonæ notæ, luteus tamen factus, fimili miasmate faturni inficitur, quando per saccharum faturni tunc clarificatur, & bullulas fpumamque formare cogitur.

§. XIII.

Sicuti nunc varia excogitata fuerunt remedia peftifera, ad vinum corruptum in melius mutandum (§. XI.); ita & varia detecta iterum funt & patefacta auxiliorum genera, quibus intervenientibus, vina illa adulterata & venenata quafi, cognofci & explorari poffunt. Inter hæc eminet in primis, quod fequentem in modum componitur, remedium:

RECIPE

Calcis vivæ unciam 1, auripigmenti unciam femis. Subtiliter pulverifata & inter fe invicem mixta, immitte cucurbitæ, & fuper affunde aquæ fontanæ uncias 5. 6. vel 10: Claude cucurbitam fedulo, cera eam obturando, & vefica fuilla operiendo: Digeratur calore ignis leni, per 10. 12. 20. & plurium horarum fpatium: Cucurbitam interdum agitando; poftea vero, cum pulvis fubfederit, liquor clarus decantetur, five per filtrum trajiciatur. Vocatur hic liquor ATRAMENTUM SYMPATHETICUM.

SCHOLION.

Animadvertendum vero, quod liquor (§. XIII.) delineatus, tam in præparatione, quam etiam tunc præsertim temporis, quando mediante illo, examen vini lithargyrio dulcificati instituitur, ille exhalationes maxime sulphureas, & fortissime fœtentes, emittat; quæ capiti, pectori, & liquido nerveo magnas inferre possunt noxas. Quare præstat, tam præparationem hujus liquoris, quam etiam examen cum illo instituendum, tali loco perficere, in quo omnia patent, aërque libere omnia pervagari potest. Porro, liquor est valde volatilis, facileque in auras avolat, quare vas, in quo asservatur, optime debet esse clausum, quo accessus aëris impediatur: Nam hoc non observato, vis illius omnis perit. Et in genere pro certo tenendum, quod, quamvis hic liquor per multos menses, viribus integris possit conservari, nempe paulo ante commemorata cautela, observata: Attamen quo recentior ille est, eo melius illo vina adulterata & lithargyrio mangonisata patefieri possunt.

§. XIV.

Si itaque cum liquore (§. XII.) descripto, experimentum dictum faciendum, infundantur circiter unciæ duæ vini, in vitrum clarum & optime depuratum; ac instillentur dein guttulæ 5. 10. vel 20. liquoris illius. Si in vino nil fuci saturnini reconditum fuerit, sub initio equidem mixtionis, præsertim si liquor cum vino aliquantulum agitetur, sedimentum ex albo flavidulum deponet, & evadet turbidum vinum; hæc vero ultima mutatio non diu perdurabit, sed reliquus vini color intemeratus manebit, qualis antea fuit. Et hæc momentanea & non permanens mutatio vini boni & optimi, accidit sæpius, aut major aut minor, secundum nempe differentiam diversorum vinorum. Ex qua autem nil mali concludere licet, nisi color vini naturalis, valdopere fuerit immutatus. Quando vero color vini ita mutatur, ut pro fuci proportione, vel rubeat magis vinum, vel fuscum, immo in recenter adulteratis plane nigrum induat colorem; certissimum est, vinum cum lithargyrio, aut aliis e saturno paratis corporibus, esse adimpletum ac refertum. Et, licet interdum, si liquor hic vinis etiam optimis, & non adul-

teratis fuerit affusus, aliqualis decessus a colore eorundem naturali deprehendatur, idemque ad album & pellucidum vergat colorem; attamen hæc coloris mutatio, nullam adulterationem vini indicat atque demonstrat, nisi simul præsto sint antea dicta criteria. Non solum autem hic liquor præsentiam lithargyrii, aliorumque corporum plumbeorum in vino, sed etiam in aliis liquoribus, e. g. lacte, urina, sanguine, vitello ovi, ejusque albumine, item aceto, spiritu vini, hydromelle, syrupis variis, ceteris prodit, ita, ut si his liquoribus nil saturnini insit, illi etiam a liquore commemorato nullam subeant mutationem: Lithargyrii vero liquore inquinati, pro inquinamenti enormitate, plus vel minus colerentur, immo nigrescant. (LENTILIUS *loco citato pag. 68.*

SCHOLION.

Phœnomeni hujus (§. XIV.) rationem, LENTILIUS sequenten in modum, verbis sane egregiis expressit: „Dulce sulphur saturninum „in lithargyrio vini acorem absorbet, particulas vero metallicas, „in forma pulveris albi præcipitat, unde vinum nanciscitur gratam „dulcedinem, ut, quam erat ante, nunc potabilius evadat. Quam „primum autem sulphur auripigmenti per se valde subtile, ab al„cali calcis vivæ magis exaltatum & evolutum, adulterato vino „admiscetur, ratione affinitatis & symbolismi cum sulphure me„tallico saturno lithargyrii semet unit, & cum in liquore lithar„gyrii adhuc lateat acidum occultum, in altera auripigmenti vero „solutione alcali quoddam volatilite, hæc duo utrisque sulphuri„bus juncta, colorem dant vel rubrum, vel fuscum, vel nigrum. „Dum interim hæc sulphura junguntur, portionem terrearum & „metallicarum plumbearum reliquias, in forma pulveris ex albo „flavescentis, ad fundum deturbant.

§. XV.

Pari ratione vinum lithargyrio contaminatum patefaciunt.

1) *Oleum vitrioli rectificatissimum*, cujus guttulæ decem aut duodecim instillantur unciis vini tribus, aut quatuor: Sique vinum fit turbidum, instar lactis ebutyrati, signum est vini lithar-

lithargyrio venenati. Si autem vinum retinet priſtinam ſuam claritatem & colorem, ſtatuendum eſt contrarium. Obſervavit vero LENTILIUS *loco citato p. 69.*, oleum vitrioli, methodo commemorata, in vinis recenter lithargyriatis officium ſuum ſaltem præſtitiſſe, id eſt ea feciſſe turbida, ſed in vinis poſt fucum jam ſemel, bis, vel frequentius defecatis, nil præſtaſſe.

2) *Ovum gallinaceum recens excluſum.* Hoc enim ſi vino immittitur, tumque acquirit colorem nigrum, vinum ſaturninis particulis eſt corruptum: Si autem colorem ſuum conſervat naturalem, optimum, nonque adulteratum eſſe, indicat. (GOKELIUS *loco citato pag. 19.*

3) *Solutiones Sulphuris cum alcali*, e. c. *calce viva*, *ſale tartari factæ*, & *Liquor fumans* BOYLEANUS. (LENTILIUS *pag. 69.*) Hæ in vinis ſaturninatis, lacteſcentem producunt & gignunt colorem; & denique

4) Medicus quidam, ſequentem liquorem, vinorum lithargyrio infectorum manifeſtandi cauſa propoſuit.

RECIPE.

Calcis vivæ & Salis Tartari, vel cinerum clavellatorum ana. Calcinentur invicem, ſed igne adeo temperato, ne fluorem patiantur, & inſtar pulveris igniti ſpatula agitari poſſint. Impenditur huic negotio hora circiter una, exemta poſtea materia & cum aqua communi ſoluta, filtratur, atque ad mellaginem evaporatur.

Hujus liquoris pro vini quantitate, guttæ 10, 20, 30. vino adulterato inſtillantur, fuco tam per turbationem, quam per præcipitationem ſemet prodente; & quo craſſior fucus, eo turbidius fit vinum, quod vero non fucato, non accidit. (LENTILIUS *loco citato pag. 70.*) Qui vero ſimul aſſerit, experimentum cum hoc liquore, niſi in vinis recentiſſime & enormiter fucatis, ſuccedere.

§. XVII.

§. XVI.

Simili ratione ſpiritus vini a vino lithargyriato per deſtillationem abſtractus, eodemque veneno ſaturnino imbutus, explorari poteſt. Si enim ille cum liquore commemorato (§. XIII.) commiſcetur; eodem modo, qui propoſitus fuit (§. XIV.), facili opera animadvertere erit licitum, tam ſpiritum vini, primo mediante deſtillatione, qui fuit abſtractus, quam etiam, qui ſecundo loco tranſiit, in colorem rubellum mutari. Hoc vero non accidit ſpiritui vini, qui ex vino, lithargyrio quod non eſt corruptum, paratur.

§. XVII.

Eadem (§. XVI.) etiam animadvertuntur, quando fruſtulum linteaminis oblongi, quod per ſulphur fuſum pertractum, & poſtea cum Marcaſita conſtratum eſt, vino fuerit immiſſum (mit rothen und marcaſit beſtreueten Schwefel eingebrandt), hocque vinum cum liquore (§. XIII.) examinetur: Tunc enim valde aucto eorundem colore, præſentia partium metallicarum marcaſitæ manifeſtatur. Idem experimentum ſuccedit etiam, ſi lutei facti (gelb gewordene) Spiritus vini, cum illo ex familia Saturni oriundo ſale, ſacharo ſaturni nempe clarificati, bullulas ſpumamque formare coacti fuerunt. (Perlendt gemacht werden.)

§. XVIII.

Omnibus adeo illis, quæ in præloquio a num. I. ad V. promiſi, pro modulo ingenii mei ad liquidum deductis, jam ordinis ratio a me exigit, inſtituere recenſum ſymptomatum illorum, quæ hauſtum vini Lithargyrio contaminati, preſſo ut dicunt pede inſequuntur, quæque partim ſunt eadem, quæ de morbo, qui vulgo Hüttenkatze nominatur in (§. IV.) expoſuimus; partim vero ſi in unum colliguntur, nomen *Colicæ Paretico - convulſivæ*, *Spasmodico - convulſivæ*, & *Oenagræ* gerunt.

 §. XIX.

§. XIX.

Non autem ſymptomata omnia, quæ ex aſſumto vino, lithargyrii ſive ſaturni particulis, quod fuit repletum, in corpore gignuntur humano, uno eodemque tempore & ſimul, ſed potius ſucceſſive illud affligunt: Primo enim adſunt tormina non valde ferocia in abdomine, progreſſu vero temporis adeo augentur, ut colica ſpasmodica acerbiſſima, cum dyſpepſia, adſtrictione alvi, doloribus capitis multis, eructationibus nidoroſis, ſapore ingrato, anguſtia præcordiorum, vomitu, aſthmate, & laſſitudine artuum oriatur. Deinde hæc non ſolum majori vi ac virulentia ægrotum excruciant; ſed etiam ſuccedit raucedo, icterus, corporis intumeſcentia, dolores lancinantes articulorum, & Pareſis extremitatum, tam ſuperiorum, quam inferiorum. Et denique ex convulſionibus fortiſſimis ægrotus mortem obit. (Lentilius *l. c. pag. 71.* Gockelius *l. c. pag. 10. 16.*)

§. XX.

Si autem vinum lithargyrio inquinatum, in corpus humanum fuerit ingeſtum, quod ſæpius ſpasmis infimi ventris vexatur; quale eſt hypochondriacorum, omnia ſymptomata (§. XIX.) redduntur pejora ac deteriora.

§. XXI.

Symptomata illa (§. XIX.) enarrata, fixa ſi in memoria teneantur, Medicus ſagax & prudens facile animadvertet diſcrimen, quod intercedit colicam, ab hauſtu vini lithargyrio mangoniſati; & colicam, ab aliis cauſis (Præloq.) excitata quæ fuit.

§. XXII.

Ad morbi vero hujus, ſive ſymptomatum illorum (§. XIX.) enarratorum, motus effrenatos cohibendos, reprimendos atque compeſcendos, varia a medicis laudata & adhibita fuerunt medicaminum genera; quæ omnia eo ſunt directa, ut I. Dolores immanes & intolerabiles inteſtinorum diſſipentur; II. Alvi fortiſſima conſtrictio ſolvatur, illaque fluida ſervetur;

III. Materia peccans e corpore educatur. IV. Contracturæ & paralyſes abigantur, & denique V. Diæta conveniens adhibeatur.

§. XXIII.

Dolores immanes & intolerabiles inteſtinorum lenire & ſupprimere valent Clyſteres, ex meris fere oleis, ut oleo lini, recenter expreſſo, oleo olivarum, Chamomillæ, Anethi, quippe quæ egregiam habent vim antiſpasmodicam (SCHUTZIUS *in prælectionibus ad diſpenſalortum B. B. pag. 201. 202.*); ut & ex herbis emollientibus, lacte, decocto hordei, parati. Ex his enim compoſita enemata, fortiter nimis conſtrictas, & ſpasmodice contractas fibrillas inteſtinorum, relaxant, & poros eorundem aperiunt. Poteſt etiam Clyſteribus his in pauca quantitate pro re nata admiſceri, Spiritus vini camphoratus, Spiritus ſalis ammoniaci, & Vinum Hiſpanicum: Nam hæc partibus læſis egregium non ſolum adferunt ſolatium, ſed & easdem ſimul demulcent. Interne eximiam præbent utilitatem juſcula & brodia, ex animalibus pinguibus parata, & cum oleo amygdalarum dulcium commixta e. g.

RECIPE.

Olei amygd. dulc. unc. 2. vel 3. Brodii vel juſculi gallinacei unc. 4. vel 6. M. D. ad poculum. D. S. **linderndes Tränckleín auf einmahl;**

quod ſemper bihorio præterlapſo iterum hauriendum, usque dum dolorum ferocia facta fuerit remiſſior. Si vero dolores valde urgeant, addi poſſunt guttulæ aliquot Laudani Opiati, vel laudani liquidi Sydenhami, vel grana aliquot correctoris Starckeyani; imo ipſius Camphoræ. Quodſi autem ſymptomata valde ſæviant, externe conveniunt unguenta ex oleo amygd. dulc. oleo carvi, anethi, Chamom. Laurin. N. M. expreſſ. Ment. Maſtich. Hyoſciam. confecta; quibus totus venter calide inungendus eſt. Et ſi denique ſymptomata tam ferocia reddantur, ut etiam medicamenta, magnis viribus alias prædita, eadem ſupprimere non valeant, balnea, ex herbis nervinis, antiſpasmodicis, confecta, ſæpe effectum ſalutarem & exoptatum

 præſtant.

præſtant. Et hæc ſimul vomitum, nauſeam, & dolores ventriculi curant.

§. XXIV.

Alvi conſtricti relaxatio, fortioribus purgantibus, qualia ſunt reſinoſa, & acria, non tentanda; quippe quæ ſpasmodicas inteſtinorum contractiones, & ſymptomatum vehementiam augent, ſed potius Clyſteres injiciendi ſunt, ex decoctis emollientibus, oleo & lacte, qui componuntur; quibus addi poſſunt leniora quædam laxantia & ſtimulantia, ut ſal commune, ſal Seidlicenſe, Sapo, Rhabarb. Pilul. Balſam. ſolutæ &c. Sique hi clyſteres, prima vice injecti, operationem ſuam debitam non exerunt, injectio eorundum per tres, quatuor, & quinque vices repeti poteſt, usque dum effectum deſideratum edunt. Interne, alvo per clyſteres ſoluta, porrigi poſſunt infuſum roſarum ſolutivum vel laxativum, ſolutio mannæ, Rhabarbarum, Pilulæ ex gumatibus lenioribus, quales ſunt Pilulæ gummoſæ evacuantes Sylvii, Marocoſtinæ, ſive extractum marocoſtinum. (Schultzius loc. *cit. pag. 193.).* Porro Paſſulæ Rhabarbarinæ, & Electuar. Tamarind.

§. XXV.

Hæcque (§. XXIV.), alvum ſemel apertam, non ſolum conſervant, ſed etiam materiam peccantem e corpore educunt. Ad ſcopum vero ultimum obtinendum ſequens etiam concinnari poteſt mixtura.

RECIPE.

Mannæ Calabrinæ electæ unc. 1. & Sem. diſſolv. in aqua Chamom. cui addat. olei amygd. dulc. unc. 1. ſem. F. P. D. ad Vitrum. Sign. Laxir Tranck auf einmahl zu nehmen. ſive Recipe.

Fol. Sennæ electæ S. St. Drachmus 3. Rhabarb. Crem. Tart. ana Drachmam ſem. Cinam. drachmam I. Sem. Foenic. Scrup. unum. Aquæ flor. Chamom. Ceraſ. nigr. ana unc. 2. M. F. lenis ebullitio, in qua diſſolvatur

mannæ

mannæ calabrinæ uncia una semis. M. D. ad poculum Sign. gelindes Tränckleín auf einmahl zu nehmen (GOCKELIUS *loc. cit. pag. 20. 21.*)

§. XXVI.

Dolores, contracturæ & paralyses artuum & membrorum, non medicamentis calidioribus, sed potius antispasmodicis, nervinis, emollientibus, & oleosis sudoriferis lenioribus, ut Spiritu C. C. balsamico, Spiritu BUSSII, Spiritu CC. succin. cum decocto enulæ, vel vino enulato adsumendi, tractari debent. (HOFFMAN *dissertatione cit. §. 21.*) Qui & externe inunctiones, linimenta & balnea ex regno animali petita & desumpta, maximis effert laudibus. Refert huc fotus, ex sanguine porcino, & intestinis aliorum animantium calidos; ut & unguentum quod sic componitur:

RECIPE.

Axungiæ humanæ, sive alius cujusdam animalis unc. 1.
Olei Caryophyl. Cinnamom. ana drachmam semis. M.

Hoc linimento calide contracta membra frequentissime sunt inungenda. Ceterum vero Medicus, artis medendi probe peritus, facili opera, illa, quæ in praxi communi de medendi methodo paresis & contracturæ artuum, sunt exposita & edocta, in usum suum convertere valebit.

§. XXVII.

Quod denique spectat diætam, quæ in hoc morbo præ omnibus observanda sedulo, pariter ac attendenda: Hæc ita componi potest: Aër sit nec nimis frigidus, nec calidus, sed quam maxime temperatus. Cibi eligantur, qui a ventriculo facile resolvi & concoqui, bonumque nutrimentum corpori largiri possunt; in quorum censum veniunt juscula animantium varia, ut vitulorum, pullorum gallinaceorum, et quæ vulgo dicuntur Bouillon, decoctum hordei, avenæ, spinachia, lac coctum & serum lactis, poma cum butyro & sacharo frixa &c. Parte ex adversa evitentur crudi, acidi, sale conditi, fumo indurati &

 alii

alii concoctu difficiles cibi. Ægrotus quieti ſtudeat; alvus continue ſit aperta, affectibus animi fortioribus, quales ſunt ira, triſtitia, moeror, non indulgeat ægrotus. GOCKELIUS *loc. cit. pag.* 29.30.

§. XXVIII.

IDEM quoque, loco potus ordinarii laudat aquam, cum radice chinæ, ligno maſtichino & uvis minoribus decoctam; ut & ſpecies ſequentes.

RECIPE.

Scob. lignor. Saſſafr. Lentiſcin. Radicis chinæ ana unc. ſem. Cinnam. drachmas 2. Aniſi drach. 1. Ocul. cancr. præparat drach. 2. M. F. pulvis groſſus cui adde Paſſularum minorum unc. Sem. M. D. ad ſcatulam. Sign. ſpecies zum ordinairen Tranck, davon ein ſtarcker Löffel voll mit einen ſiedenden Maaß Waſſer in einen zugedeckten Krug bis es erkaltet, ſtehen zu laſſen.

§. XXIX.

Fide itaque promiſſi liberata, jam nihil amplius reſtat, quam ut adponam methodum & rationem, quâ vinis quibusvis modo corruptis, ſine ullo damno & detrimento generis humani, natura ac indoles grata & bona iterum poteſt conciliari. Peragitur hoc liquore qui ſic præparatur: Recipiantur nempe ſalis tartari unc. 3. fundantur in igne fortiſſimo, & ſolvantur in aqua pluviali, aut alia quadam aqua pura & levi. Poſtea filtretur hic liquor, & ponatur in balneo arenæ, in quo tamdiu retineatur usque dum bullulas formare incipit. His factis, unciæ quinque optime præparati & pulveriſati cremoris tartari, ſucceſſive, & quantum cochlear ſemis capere valet, adjiciatur. Non vero nova adjectio prius tentanda, quam ſi omnia probe fuerint ſoluta. Denique adhuc tanta quantitas ſalis tartari fuſi & pulveriſati adjicienda, quanta a liquore reſolvi poteſt; quo facto filtretur & ſervetur uſui.

§. XXX.

Hujus liquoris (§. XXIX.) certa quædam quantitas, prouti nempe quantitas vini eandem requirit, in dolium vino corrupto quod eſt repletum infundatur, (ad magnum dolium, quod vulgo vocatur Oxhoft, recipi poteſt portio dimidia liquoris :)cum eodem tamdiu commixtum relinquas vinum, usque dum ſalia in eodem omnimode fuerint reſoluta, & vinum factum ſit clarum & pellucidum. His peractis, committatur alii dolio, ab omnibus impuritatibus quod eſt liberatum; tumque vinum claritate maxima luxuriabit. Et hoc vinum non ſolum in corpore humano nil mali excitabit, ſed potius effectum ſalutarem illi præſtabit.

§. XXXI.

Teſtatur denique Paracelsus, quod coronidis loco adducam, quod *radix caryophillatæ*, vinis corruptis, & in naturam acidam mutatis indita, eadem iterum grata & ſalutaria reddat.

